

mini. Placuisse hoc quidem Romanis, ob multa loca,  
 quae manifeste id probant, in libris nostris obuia, *a)* du-  
 bitari plane non potest. Quamuis autem omnino putem,  
 non scienter Romanos dereliquisse aequitatis naturalis  
 praecepta, sed vfos esse aliqua, licet falsa, philosophan-  
 di ratione, pro qua id subtiliter ducerent ex iuris &  
 aequi principiis, ipsam tamen hanc rationem certe defi-  
 nire non ausim, quum nihil nobis de ea expositum reli-  
 ctum sit. Proferunt quidem Doctores varias rationes, *b)*  
 quas quidem non ideo reiiciendas esse puto, quia aequita-  
 tem naturalem non probant, ab hac enim recesserunt Ro-  
 mani, ideoque caussa, ob quam ita definierunt genuina  
 esse non potest, sed recipere illas non tantum dubito,  
 quum quaestio facti sit, vtrum ita Romani philosophati  
 sint, verum quoque vereor, ne affingantur illae Romanis  
 tantum, quum eadem omnes quoque ad hereditatis pe-  
 titionem applicari possint. Quare, si quid coniicere licet,  
 dici forte poterit, Romanis ideo placuisse, vt possessor  
 fructus, quos bona fide consumsit, lucraretur, quia in  
 rebus singularibus pretium non succederet in locum rei,  
 ideoque dominus loco fructuum, quos consumserit bo-  
 nae fidei possessor, pretium eorum repetere non posset.  
 Certe haec ratio, quamuis probe intelligam, eam non

F

omni

*a)* Vid. §. 2. I. *de offic. iud.* §. 35.  
*I. de rer. diu. L. 4. §. 2. D. fn. regund.*  
*L. 41. §. 1. D. de re iud. L. 22. C. de*  
*rei vindic.*

*b)* Vid. e. g. EV. OTTONEM  
 ad §. 35. I. *de rer. diu. n. 6.*